



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 430. Quid sit privilegium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis & Excessibus Privilegiatorum.

CAPUT I.

De Privilegii Natura, Varietate, Acquisitione, Communicatione.

Quest. 430. Quid sit Privilegium?

R Esp. Privilegium non acceptum (ut quandoque accipi solet) pro rescripto & instrumento, in quo gratia, beneficium, indulgentia Principis continetur, nec pro ipso actu, quo conceditur, etsi is dicatur beneficium, sed pro ipso jure, gratia seu beneficio concessis alicui à Principe, latè quidem sumptum dicitur lex privata, quæ certæ personæ particulari, Collegio, Universitati, Monasterio, Religioni, Ecclesiæ, Civitati (quæ personæ fictæ seu mysticæ dicuntur *L. 4. §. 3. ff. de consub. Lauterb. in ff. Lib. 1. tit. 4. de consuetudinib. Princip. §. 28. in fine.*) ex Principis favore & gratia conceditur facultas aliquid agendi vel omittendi aut percipiendi præter vel contra legem seu jus commune; magis verò strictè seu propriè sumptum Privilegium definitur; quòd sit facultas seu jus singulare vel speciale contra vel præter jus commune concessum agendi, &c. ad distinctionem legis, quippe quæ propriè talis respicit bonum commune & obligationem inducit; Privilegium verò bonum & commodum privati nullam obligationem inducens respectu illius, cui datur, cum nemo beneficio sibi concessio uti cogatur, sed ad summum respectu aliorum, quibus vi Privilegii præcipit, ut illud servari faciant, vel prohibetur, ne privilegium impediatur. ob quam rationem veluti secundariò dici posset lex. De cæterò dicitur: *Contra vel præter jus commune*; quia quòd jure communi competit frustra per privilegium impetratur. Arg. *L. 1. C. de thesau. & quamvis quandoque aliqua à jure permittitur à Principe de novo concedantur ob majorem nimirum eorum confirmationem & securitatem, non sunt tamen Privilegia propriè dicta, sed potius declarationes juris communis, vel naturalis, tamen si specialem favorem & beneficium contineant, Pirh. *h. t. num. 3. Reiffenst. num. 8.* Unde etiam à Suar. & aliis rationem privilegii habere dicuntur. Differunt autem privilegia contra jus à privilegiis præter jus in eo, quòd privilegia contra jus consistant in exemptione ab iis, quæ jure communi præstanda sunt, v. g. à solvendis decimis, à jurisdictione Ordinarii & similibus, & hæc magis strictè privilegia sunt, quorum quidem materia jure non est prohibita, sed tamen non nisi certis personis jure permittis conceditur, quale privilegium est potestas absolvendi à reservatis, dispensandi &c. & dicitur potius beneficium Principis. Reiffenst. *h. t. num. 7.* differunt quoque in eo, quòd privilegium, quia est contra jus, sit strictè interpretationis, *c. porro. & c. sanè h. t.* Privilegium præter jus verò, cum sit meræ gratiæ ac beneficium Principis citra ullam juris communis læsionem, latè interpretari debeat, Reiffenst. *num. 9.**

Quest. 431. Qualiter igitur Privilegium differat à dispensatione?

R Esp. Differre ex eo volunt aliquicum Rebuff. *praxi benef. tr. de concordat. tit. forma mandat. Apost. v. dispensationum*, quòd ad dispensandum causa requiratur, ita ut eà non existente dispensatio sit nulla, quòd tamen universaliter verum non esse ait Pirh. *h. t. num. 5.* eò quòd privilegium quoque, saltem quòd est contra jus, sine causa dari non possit, unde asserit privilegium in communi differre à privilegio tanquam genus à specie, non differre autem dispensationem à privilegio accepto specificè pro privilegio contra jus, idque procedere, si concedatur dispensatio per modum legis private ad operandum ordinariè & stabiliter contra jus aliquid commune, cum tale privilegium sit permanens dispensatio; secus, si dispensatio concedatur ad abstinendum pro uno alteròve die à carnibus, cum talis dispensatio non possit dici privilegium, quia per modum legis non stabilitur, nec jus permanens conceditur, sed est quid facti quasi transeuntis, non secus ac præceptum temporaneum non est lex, & consequenter dispensatio in eo non est privilegium, ita ferè Pirh. *l. c. cum Laym. L. 1. tr. 4. c. 23. num. 5.* confirmans id ipsum exemplo dispensati v. g. ab impedimento matrimonii, qui dici non potest privilegiatus, quia eo impedimento semel sublato operatur juxta communem.

Quest. 432. Quotuplex sit privilegium?

1. R Esp. Primò: Privilegium variè dividitur; nam aliud est personale, aliud reale, *c. mandata de presump. l. privilegio. ff. de R. l.* Aliud mixtum. Personale est, quòd proximè, immediatè & directè confertur personæ quæ tali in favorem & ratione personæ, eique tanquam subiecto inheret, & absque ulteriore extensione ad hæredes siue sui sint, siue extranei cum ea extinguitur. *L. 14. l. 16. ff. de LL. l. 13. ff. solut. matr. l. 68. & l. 169. ff. de R. l. Lauterb. l. c. §. 28. Pirh. h. t. num. 6.* Conceditur autem non tantum certo individuo personæ, v. g. Titio, Mevio &c. quòd privilegium dicitur singulariter personale, sed & certo personarum generi, v. g. Clericis, Doctoribus, Scholaribus, Militibus, Minoribus, Pauperibus, Fæminis, &c. Lauterb. Pirh. *ll. cit.* hæc tamen privilegia etsi & hæredes non transeant vel transferantur, per benevolam tamen interpretationem & ob specialem rationem juris, ne inutilia sint iis, quibus concessa, ad personas iis adherentes quandoque extenduntur, juxta *c. licet. h. t. in 6.* Lauterb. §. 29. Sic, ut Idem §. 30. Salvus conductus concessus domino extenditur ad famulos ei ad serviendum necessarios. Sic privilegium fori & immunitatis competens Clericis ad eorum famulos